



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De haeresi Sabellii. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EUSEBII HISTORIAE

*De hæresi Sabellii.*

CAP. V.

**D**Einceps in eadem epistola Dionysius de hæreticis, qui Sabellium ducem habuerunt, eiusque temporibus prodierunt in lucem, mentionem facit hoc pacto. Quoniam de erroris dogmate, Ptolemaidi Pentapolis iam suborto, quod plane impium est, quod detestabilem de Deo omnipotente patre domini nostri Iesu Christi blasphemiam continet, quod multum falsæ doctrinæ de unigenito filio eius, primogenito omnis creaturæ, verbo incarnato, complectitur, quod cæcæ de spiritu sancto ignorantia comprehendit, ex utrisque partibus cum literæ me certiorē facturæ, tum fratres, mecum de eâ re comunicaturi, ad me veniebant, quasdam epistolas, ut poteram, diuina largiente gratia, quò accuratius obscuras erroris latebras aperirem, conscripsi: quarum exemplaria descripta ad te misi.

*De euoluendis hæreticorum libris, & de visione Dionysii diuina de eadem re, deque canone quem accepit Ecclesiastico.*

CAP. VI.

**I**dem Dionysius in tertia epistola de baptisate, quam scribit ad Philemonem præbyterum Romanum, ista tradit. Equidem tametsi hæreticorum libros, & traditiones, perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimorum opinionibus quodammodo inquinare videbar, hoc tamen ab illis capiebam commode, ut non modo eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero præbyterorum me vetaret deterreretque; a legendo, ne turpi prauitatis & peruersæ eorum doctrinæ cœno cõtaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui asseruit) cumque vera, meo quidem iudicio, diceret, visio quaedam cælitus ad me demissa, me confirmauit. & vox ad aures allapsa, manifesto præcepit ad hunc modum: Omnes libros, quos sumis in manus, euolue sedulo. Nam satis habes virium & firmitatis ad quæque; tum conuincenda, tum exploranda: Atque hæc causa erat, cur in initio ad fidem Christi vocatus fueris. visionem utpote rite consentientem voci apostolicæ, sic ad potentiores dicenti (Sitis diligenti-